INDEX
LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXIX
VSQVE AD D. XX. M. MARTII A. MDCCCLXXX. 1879/80

HABEBVNTVR.

Vahlen

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

Vahlen
De versibus poetarum veterum a Cicerone citatis

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

De versibus nonnullis veterum poetarum Romanorum disputaturi sumus qui aut sunt aut esse crediti sunt apud M. Ciceronem. Etenim Cicero, ut erat magnus amator antiquae poesis Latinae, ita saepe multa ex illis litteris petita tamquam lumina suae intexere orationi solebat; sed versus citat non ut grammaticus verborum curiosus sed ut qui scientibus scribit quos verbo admonuisse satis sit, alienaque cum suis saepe ita committit vix ut suturam agnoscas. Itaque factum est saepenumero ut interpretes illam rationem parum perspicientes peccarent, cum aut versus qui essent non animadverterent aut crederent esse qui nulli sunt aut plene perscribenda instarent quae ille primis vocibus indicasse sat habuit aut in discernenda a poetae Tulliana oratione titubarent aliisque modis multis laberentur et a vero aberrarent. Haec quae significamus non frustra elaborabit qui dedita opera ac studiose persequetur: interim nos paucis defungemur exemplis.

Itaque Cicero Tusculanarum disputationum primo c. 15 haec scribit: *Loquor de principibus: quid poetae? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud*

Aspicite, o cives, senis Enni imagini' formam!
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.

mercedem gloriae flagitat ab iis quorum patres adfecerat gloria; idemque

Nemo me lacrimis
Cur? volito vivu' per ora virum.

1*

Sic, imperfecta oratione et numero, hoc alterum epigramma, de quo agimus, scriptum est in libris, iis quidem quorum est aliqua auctoritas; sed eodem epigrammate Cicero bis praeterea usus est, iterum in disp. Tusc. 1, 49, 117 *Quod si fiat, melior Ennii quam Solonis oratio. hic enim noster 'Nemo me lacrimis decoret' inquit 'nec funera fletu Faxit.' at vero ille sapiens 'Mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis Maerorem ut celebrent funera cum gemitu'*; et in Cat. mai. 20, 74 *Solonis quidem sapientis elogium est quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare: vult credo se esse carum suis, sed haud scio an melius Ennius,*

Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu
Faxit,

non censet lugendam esse mortem quam immortalitas consequatur. Hinc igitur quisquis primus fuit illo loco Ciceroni integrum Ennii distichon reddidit; eaque additamenta iam olim vetustas editiones occuparant; postea unus Tregderus codicibus obtemperans dimidiatos versus reliquit; contra quem posteaquam Wesenbergius quamvis parum prudenter disputavit, iam multos annos nullus Tusculanarum disputationum liber exit (et exire multi paene quotannis solent), quin plene perscriptos versus Ennianos habeat. Quin Fleckeisenus (ann. a. 1863 p. 192) tamquam re certa hoc exemplo nisus est, cum etiam in Catonis loco supra scripto pentametri partem non a Cicerone non scriptam sed librariorum incuria abiectam esse argueret primus. Et tamen qui simplici iudicio uti nec inveterato errore duci velit, concedat oportet Ciceronem, cum haec scriberet

Nemo me lacrimis
Cur? volito vivu' per ora virum,

epigrammatis aequalibus suis notissimi tantum posuisse quod vel nescienti ad faciendam intelligentiam satis esset. Neque hoc non de more. Eunuchus Terentii ab his versibus orditur

Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem
Cum accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret.

Hoc initium fabulae ascivit Cicero de nat. deor. 3, 29, 72. *Quid levitates comicae? parumne saepe in ratione versantur? parumne subtiliter disputat ille in Eunucho*

Quid igitur faciam?
Exclusit revocat: redeam? non, si me obsecret.

Desideramus bonam partem huius ratiocinationis comicae, sed desideramus sine detrimento sententiae Tullianae, nec cuiquam in mentem venit, curtatum Ciceronis testimonium integrare ex Terentio. Ac ne quis obiiciat illum dimidiatum quidem

versum sed plenam esse sententiam, non ut *Nemo me lacrimis* imperfectam, en habete utriusque rei exemplum, de fin. 2, 32, 106, *Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens*

Desine Roma tuos hostes

reliquaque praeclare;

Nam tibi munimenta mei peperere labores;

similiterque de oratore 3, 42, 167. Intelligimus sententiam, versum explere aliunde non possumus. Idemque cum ita scribat de fin. 2, 22, 71 *nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui ne malum habeat abstinet se ab iniuria; nosti credo illud*

Nemo pius est qui pietatem

cave putes quicquam esse verius. nec enim dum metuit iustus est et certe si metuere destiterit, non erit, non obscurus sensus est versus tralaticii a nemine praeterea memorati, quem inter tragicos rettulit Ribbeckius p. 257, sed simul apparet Ciceronem id quod summum erat eius sententiae reticuisse, ut iam hoc exemplo aestimari possit, quam vere Fleckeisenus, cum epigramma illud in Catone mai. totum dari iuberet, negaverit a Cicerone potuisse eam partem versus omitti, quam ipse in sua oratione cum maxime respiciat.

Sed in his quidem quae adhuc tetigimus nihil nocuit studium illud manca supplendi (nam potuisse illa integra poni quis dubitat?), nisi quod interpretis est morem scriptoris sui nosse neque temere ulla memoria attemptanda est; et videmus etiam in his levioribus errorem ex errore nasci. Verum alibi eadem sedulitas plenos pro dimidiatis versus exhibendi non levi detrimento fuit Ciceroni aut eis quae attulit carminibus. In Bruto 15, 57 haec leguntur: est enim perscribenda quamvis prolixa oratio. *Quem vero extet et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor et idoneus quidem mea sententia Q. Ennius; ... est igitur sic apud illum in nono ut opinor annali*

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega
Marci filius.

et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit ... sed est ea laus eloquentiae maxima

is dictus popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque aevum agebant
Flos delibatus populi

probe vero: ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt

suadaeque medulla.

πειθὼ *quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc suadam appellavit Ennius, eius autem Cethegum medullam fuisse vult.* Haec Cicero; et apparet verba *Marci filius: is dictus popularibus olim* copulata unum integrum efficere hexametrum. Ac si haec unica esset memoria, obtineremus eam, neque cuiquam liceret cum fide vitiatam demonstrare. Sed tres versus posteriores Gellius auctore Annaeo Seneca tradidit in hunc modum scriptos 12, 2 *In libro enim vicesimo secundo epistularum moralium quas ad Lucilium composuit* (Seneca) *deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit*

is dictust ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant
Flos delibatus populi, suada medulla.

ac deinde scripsit (Seneca) *de iisdem versibus verba haec 'admiror eloquentissimos viros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius versus et hos refert.' atque id etiam de Cicerone dicit 'non miror' inquit 'fuisse qui hos versus scriberet cum fuerit qui laudaret: nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam et volebat hos versus videri bonos.'* Non moramur Senecae calumnias, cui deliciae illae argutulae priscae sanitatis et sinceritatis saporem perdiderant, sed agnoscitur quid haec memoria versuum Ennianorum discrepet a Tulliana; cumque Senecam versus illos non ex annalibus sed ex Ciceronis Bruto mutuatum appareat, Gellium autem excerpere Senecam res ipsa docet, non spernemus has a Gellio relatas scripturas nec Ciceronem negligentiae sed eius librarios arguemus: reddemus igitur et Ciceroni et Ennio tam *is dictust ollis popularibus olim* quam *aevum agitabant,* quemadmodum a Cicerone rursus Gellius *suadaeque medulla* accipiet. Quo facto cum iam non possis haec *Marci filius: is dictust ollis popularibus olim* unius versiculi ambitu complecti, Cicero more suo post illa *Marci filius* nonnulla, quae non facerent ad hanc rem quam agebat, praetermisisse existimandus est. Hanc rationem satis ut opinamur expeditam miris modis impeditam reddiderunt critici Bergkio principe, ea maxime causa ducti quod non mutilos versus duos sed unum integrum a Cicerone allatum sibi persuaderent. Quod ut assequerentur, non illi Tulliana fide steterunt sed ex Gellii testimonio profecti *olim* particula deleta in eiusque loco *ollis* pronomine reposito novam versus formam procuderunt hanc

Marci filius: is dictust popularibus ollis;

multaque et incredibilia fingunt, ut quibus viis ex hac primitiva forma tam Ciceronis quam Gellii sive Senecae scripturae deriventur declarent. Et haec nanciscuntur sponsores propaganturque pro veris. Sed, ne recognoscamus singula, quod abiecta *olim* particula, quae iuxta pronomen *ollis* scilicet supervacanea esset, consuluisse orationi poetae sibi visi sunt, fugit eos ratio: nihil enim aptius aut ser-

moni Latino convenientius est hoc dicendi modo *is dictus est olim illis popularibus qui tum vivebant homines.* Velut Cicero ipse, ut mittamus verba quae hoc ipso loco habentur *tum illi homines,* de legibus 2, 15, 39 *graviter* inquit *olim ista vindicabat vetus illa Graecia;* et Catullus c. 68, 153 *quae Themis olim Antiquis solita est munera ferre piis;* et Terentius in Eunucho 2, 2, 15 *olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius;* aliique similiter, et omnino ubertas quaedam dicendi in significanda antiqui temporis aetate utriusque linguae scriptoribus eximie placuit: ne mirere post illa *ollis popularibus olim* addi etiam *qui tum vivebant homines:* vel Tacitus ita *apud illos homines qui tum agebant* ann. 3, 19; et quod praemisso nomine *popularibus* rursus *homines* adiicitur ad pronomen, ne id quidem non certa quadam Latini sermonis proprietate vindicatur. Ita cum satis firmare liceat Enniani versus formam a Gellio perhibitam, tenemus hoc, Ciceronem cum illa afferret, omissis aliis tantum posuisse quantum cum suo esset consilio coniunctum: cum praesertim cui hariolari libeat non ita difficile excogitet quo apud Ennium interstitium illud expletum fuerit.

Non dissimiliter erratum est in iis quae ex Pacuvii tragoedia excerpta Cicero scripsit in Tusc. disp. 1, 44, 106 *Ecce alius exoritur e terra qui matrem dormire non sinat.*

1 *Mater, te appello, tu quae curam somno suspenso levas*
Neque te mei miseret, surge et sepeli natum.

haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est non eos qui inhumati sint miseros iudicare.

3 *prius quam ferae volucresque*

metuit ne laceratis membris minus bene utatur, ne combustis, non extimescit.

4 *Neu reliquias ſemiaſſi reiſ denudatis ossibus*
Per terram sanie delibutas foede divexarier.

non intelligo quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Ilionam Pacuvii esse et Deiphili (sive Polydori) umbram haec canere aliunde constat. Versum primum etiam Porphyrio ad Horatii sat. 2, 3, 60 adscribit, ita ut non *suspenso* quod est in Ciceronis libris bonis sed *suspensam* tradat; et hoc esse verum putamus, non quod non somnus suspensus h. e. incertus et anxius recte appelletur, sed quia hoc ab huius loci sententia alienum videtur; contra *curam somno suspensam levas* perapte dicitur et plane ad eum modum, quo et Cicero locutus est Tusc. disp. 2, 8, 20, cum versus Sophoclis de Trachiniis 1046 sq. *ὦ πολλὰ δὴ καὶ θερμὰ καὶ λόγῳ κακὰ Καὶ χερσὶ καὶ νώτοισι μοχθήσας ἐγώ* verteret *O multa dictu gravia, perpessu aspera, Quae corpore exantlata atque animo pertuli,* et Terentius in prologo Adelphorum 10 *eum hic locum sumpsit sibi In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit;* quae neque Donatus intellexit cum haec adnotaret *mire non dixit transtu-*

lit sed extulit, ut ornasse Graeca videatur Latino stilo, neque qui Donati adnotationem repetiit G. Wagnerus. Sed *extulit* quid esset, si tanti erat, Cicero docere poterat, qui de rep. 1, 14, 22 *sphaerae descriptionem* ait *versibus Aratum extulisse*, ut perspicuum sit haec *verbum de verbo expressum extulit* vix distare ab eis quae idem Cicero Tusc. disp. 3, 19, 44 scribit *quae modo expressa ad verbum dixi.* Sed haec in transcursu: illud ad rem pertinet, quod editores plerique omnes de Bentleii opinione post *natum* addiderunt *tuum,* his ut proxima *priusquam ferae volucresque* tam numero quam sententia continuarentur:

Neque te mei miseret, surge et sepeli natum tuum, *prius quam ferae*
Volucresque.

Sic haec Ribbeckius quoque in tragicorum reliquiis exhibet p. 101, quibus intervallo nullo versus proximos duos adnectit. Cuius ab rationibus nos longius discedimus ac putamus eum, ut ceteros qui simili modo versus coniugant et coagmentant, hoc non satis curasse quod Cicero ut solet pauca frusta ex longiore carmine selecta ponat quibus tenorem sententiarum gnaris in memoriam revocet. Nam nec *tuum* requiritur et poterant eo loco plura a Cicerone praeterita esse: velut non inepte suspicere, Deiphilum statim post illa *sepeli natum* narravisse, se caesum esse et corpus abiectum; quae et narranda erant nec paene aptiore loco narrari poterant. Sed ut nihil de re incerta affirmemus, illud certum putamus, versum secundum imperfectum, ut est, relinquendum esse, ab eo vero segreganda haec *prius quam ferae volucresque,* quae et ipsa sunt imperfecta sed minime obscura sententia, quae tamen ex qua parte versus, primone an medio, desumpta sint, definiri non potest; ab his autem rursus aliquo intervallo dirempti fuerunt versus duo postremi. Quae enim Cicero interponit *metuit ne laceratis membris minus bene utatur, ne combustis, non extimescit* (quae mirere neminem interpretum attendisse), ex iis perspicuum fit, Deiphili umbram apud Pacuvium rogi iusta flagitasse, sed ea in his quae nunc leguntur non habent quo commode referas; neque enim huic sententiae illa *sepeli natum* satisfaciunt: non quasi nos negemus *sepelire* posse etiam de comburendo dici, id quod certis quibusdam exemplis constat, et omnino haec ad funus pertinentia vocabula, sua origine diversa, multis modis misceri ac confundi nemini ignotum est: sed illo loco, initio carminis, hoc parum apte intelligetur, nec ea vi Cicero videtur accepisse cum statim de *inhumatis* loquatur, de cremando postea demum interiectis illis *prius quam ferae volucresque.* Itaque sic statuimus, primo universe sepulturae honorem posci, dein progrediente oratione hoc ipsum, ut mater combureret filii corpus, expresse elatum fuisse in versibus quos Cicero non apposuerit; ut ad ea respiciat cum illa scribit *ne combustis, non extimescit.* Quodsi ita recte iudicamus, novo exemplo discimus, quam caute in hoc genere agendum sit, ne dum supplere manca instituimus, pro librariis castigemus scripto-

rem. Sed versus paene ultimus, qui ita ut supra scripsimus, legitur in Ciceronis libris optimis, gravius affectus est, de quo sanando, quid nobis probabile visum sit, priusquam aperiamus, de metrorum genere dicendum est. Cum enim Cicero *septenarios* appellet, ei vero numero versus ipsi refragentur, Bentleius, simul illa persuasione seductus, qua octonariorum usum a tragoedia alienum haberet, quae hodie neminem decipiet, non abstinuit a violentioribus machinis, ut in septenariorum mensuram versus cogeret invitos; neque felicius ea res cessit Bergkio (Philol. 31, 240 sq.) aut ei qui saepe mutata sententia denique Bergkio adstipulatus versus quidem illo tersiores effinxit, Ritschelius, orationem autem nihilo minus depravavit (Trin. II p. LVIII. Opp. 3, 26). Nam ut taceamus Bergkii *heus surrige* aut Ritschelii *surge age* ab huius decore orationis repudiata, cum *tu* versu primo tollunt, versu autem quinto pro illis *per terram* ponunt *taetra* aut *per humum*, suo arbitratu removent quae aptissima sunt. Quae ubi relinquuntur, ut par est, actum est de septenariis. Ac nos quidem his moliminibus ne mutandi quidem probabilitate ulla commendatis haud cunctanter praeferremus Lambini iudicium *septenarios* quod traditum est mutantis in *octonarios*. Sed amplectimur opinionem eam quam olim ipse probavit Ritschelius quamque retinere Ribbeckium videmus, Ciceronem cum *septenarios* vocaret erravisse per festinationem, qua saepe peccavit; et nunc quidem non aliquem Atticum invenit, qui erroris admoneret corrigendumque in chartis curaret (nota sunt quae de hac officiosa sedulitate Attici sui narrat ipse in epistolis ad Att. 7, 3; 12, 6). Ergo versus quos attulit, non Ciceronem testem sequemur, versus autem ut leguntur manifesti sunt octonarii. Missisque istis correctionibus metri causa factis reliqua emendate scripta esse nobis persuadetur, vitiosum unum *ſemıaſſı reıſ* (sive *ſemıaſ ſıreıſ*). Cui mendo ut mederetur Bentleius duplicem coniecturam proposuit, *semiesas* olim, postea *sic meas siris*, utrumque ita ut septenario satisfaceret. Quorum *siris* sive quod Hauptius (Opp. 2, 353) suasit ipsumque est in librorum memoria *sireis* verissimum est; *sic meas* autem quamquam retinuerunt variisque modis octonario aptare studuerunt Fleckeisenus Buechelerus Ribbeckius, item Bergkius et Ritschelius, quoniam neque ad litteras traditas accedit et nulla parte sententiam adiuvat, nobis reiectaneum videtur. Probabilius erat, probatumque est uni aut alteri Ciceronis editori, alterum Bentleii inventum *semiesas,* quod cum *sireis* coniunctum et ipsum octonarii mensuram explet nec plane abhorret a sententia. Sed nos dum sequimur illud quod ipso Cicerone auctore possumus, rogi munus expetiisse Deiphilum, ad hanc rem quod faceret a Pacuvio scriptum et a Cicerone esse relatum coniicimus: nempe mutatione leni ac paene nulla ex *ſemuaſ* efficimus *ſemıtaſ* h. e. *semustas.*

Neu relliquias semustas sireis denudatis ossibus
Per terram sanie delibutas foede divexarier.

Cui opinationi quodam modo patrocinari videntur ea quae in Plauti Rudente 766 Fl. leguntur

Labrax. *Ignem magnum hic faciam.* Daemones. *Quine ut humanum exuras tibi?*
Labrax. *Immo hasce ambas hic in ara ut vivas comburam.* Daemones. *Id volo.*
Nam hercle ego te continuo arripiam barba et in ignem coniciam
Teque ambustulatum magnis obiciam avibus pabulum.

sed magis quae Cicero dicit pro Milone c. 13 *Quid? tu me tibi iratum, Sexte, putas, cuius inimicissimum multo crudelius etiam poenitus es, quam erat humanitatis meae postulare? tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti, tu spoliatum imaginibus exequiis pompa laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* Nimirum M. Tullius nunc non ut philosophus sentit sed exaggerat ut orator et hic et rursus eandem in sententiam c. 32. Nam rem gestam narrat Asconius in argumento orationis p. 29 Kiessl. *Populus duce Sex. Clodio scriba corpus P. Clodii in curiam intulit cremavitque subselliis et tribunalibus et mensis et codicibus librariorum; quo igne et ipsa quoque curia flagravit.* Sed tamen vel per exaggerationem dispicitur quid in illo funere maxime desideratum fuerit mori Romano: etenim corpus Clodii crematum erat rogo non iusto et ad hanc rem structo sed tumultuario ac temere facto combustoque corpore propter exoriens incendium curiae nemo curae habuit ossa legere et componere, quemadmodum de Augusto narrat Suetonius c. 100 *senatorum humeris delatus in campum crematusque; reliquias legerunt primores equestris ordinis ac mausoleo condiderunt,* eosque mores studiosius persequitur Lygdami carmen secundum (cf. Tibull. 1, 3, 6). Ad hunc igitur modum opinamur apud Pacuvium Deiphili umbram orasse primum ut mater corpus cremaret, dein ut conderet ossa et componeret neve reliquias semustulatas abiiceret divexandasque per terram feris relinqueret. Et haec postrema ubertate illa Pacuviana quam veteres admirabantur distincta possunt fidem facere, ne reliqua quidem poetam nimis parca oratione elaturum fuisse: quo magis cavendum est ne in angustissimum gyrum compellamus carmen ex quo nobis quidem Cicero pauca degustanda reliquit. Quare haec disiecta membra hoc modo ordinata ac disposita veriorem, ni fallimur, Pacuviani cantici speciem informabunt.

Matér, te appello, tu quae curam somno suspensam levas
Neque té mei miseret, surge et sepeli natum
priu' quám ferae volucresque
Neu rélliquias semustas sireis denudatis ossibus
Per térram sanie delibutas foede divexarier.

Properamus ad alia aliudque genus erroris in versu a Cicerone adhibito admissi perstringemus paucis. Initium est epistolae libri primi ad Atticum duo-

devicesimae. *Nihil mihi nunc scito tam deesse quam hominem eum, quocum omnia quae me cura aliqua afficiunt una communicem, qui me amet, qui sapiat, quicum ego etiam loquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam: abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus metellus non homo sed litus atque aer et solitudo mera. tu autem qui saepissime curam et angorem animi mei sermone et consilio levasti tuo, qui mihi et in publica re socius et in privatis omnibus conscius et omnium meorum sermonum et consiliorum particeps esse soles, ubinam es? ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone consumitur.* Ita haec exarata sunt in codice Mediceo, nisi quod leviora quaedam quae inter scribendum peccarat librarius ipse correxit; pro *etiam* autem, quod ferri non potest, cum *et* litterae in litura sint et *o* ante *loquar* dispiciatur, *ex animo* felici coniectura restituit H. A. Kochius. Sed quae insequuntur cum novissimus harum epistolarum editor, S. Wesenbergius, praeeunte alio homine docto, in hunc modum mutata edit *abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus*

Me tellus! non homo est sed litus atque aer
Et solitudo mera

tu autem qui —, mirum quantum desideramus illud subtile iudicium quod toties his epistolis salutarem opem attulit. Ut enim numeros praetereamus, a quo poeta putamus illa *Me tellus!*, ea vi qua Wesenbergius ipse interpretatur, ut sint *me tellus hauriat*, potuisse scribi? Nam quod Cicero, quo ille exemplo utitur, ad Quintum fratrem 3, 9, 1 τότε μοι χάνοι scribit memor scilicet notissimi versus Homerici quem alibi integrum adscribit (ad Att. 9, 9, 3), nimirum hoc est de illo more, quem supra pluribus exemplis declaravimus (*nemo me lacrimis; desine Roma tuos hostes;*), quo notorum versuum principia ponere solet. Neque vero nos negamus in illis inesse quid poeticae orationis, et hoc olim perspectum est, et nuper cum a Ribbeckio (trag. p. 257 sq.) tum a Peerlcampo. Quorum tamen cum ille haec attribueret Ciceroni *amantissimus mei: alius non homo* (sive *nemo*) *sed 'litus atque aer et solitudo mera'*, Peerlcampus autem Tullianam orationem hoc versiculo augeret *amantissimus mei. solus sum: 'nón homo est sed litus et aer, solitudo hic est mera'*, neuter quo consilio quave mente haec essent a Cicerone interposita probe intellexit, non magis quam Wesenbergius aut ullus quem novimus interpretem. Et tamen totam comprehensionem cum attentiore animo persequimur, hoc agnoscere videmur, Ciceronem cum queratur et Quintum fratrem sibi deesse nec Atticum familiarem coram adesse, huic mentioni duorum amicissimorum sed qui nunc longe ab eius usu remoti sint mediam interponere commemorationem tertii qui etsi praesens est, tamen ab eo humanitatis sensu abhorret quem cum maxime desiderat: ut haec pulchra sententiae concinnitas oriatur: *nihil mihi nunc magis deest quam amicus verus et sincerus, frater enim abest, ille alter non homo,*

tu autem, Attice, ubinam es? sic enim quaerendo desiderium absentis exprimitur suavissime, ut Attis Catulli *ubinam* inquit *aut quibus locis te positam, patria, reor?* Iudicium autem de illo tertio quod Cicero ita formavit *non homo sed litus atque aer et solitudo mera*, eodem dicendi genere usus est, quo scribit in his epistolis 7, 13, 6 *L. Caesarem vidi Minturnis ... cum absurdissimis mandatis, non hominem sed scopas solutas;* eodemque Catullus c. 115 *non homo sed vero mentula magna minax;* nec dissimilia quae Plautus habet in Mercatore 641 *non hominem mihi sed thensaurum nescio quem memoras mali*, in Asinaria 494 *lupus est homo homini, non homo, quom qualis sit non novit*, aut Terentius in Hecyra 2, 1, 17 *mulier, quae me omnino lapidem, non hominem, putas;* ad eundemque modum simul exaggerans Vatinius (Cic. ep. ad fam. 5, 10*a*, 1) *simius, non semissis homo;* Petronius autem cum talia frequentat *phantasia, non homo; piper, non homo; discordia, non homo* more suo vulgarem dicendi modum imitatur. Ita cum Cicero sensum illum suis exprimere verbis posset *ille non homo sed lapis* vel *saxum* vel simile, maluit ascito poetae versiculo scribere venustissime *non homo sed litus atque aer et solitudo mera*, hoc est cui narrare, committere nihil possis non magis quam aeri aut litori. Nam haec quod de homine dicuntur, qui nimiam nec tolerabilem transferendi audaciam habent (et videntur habuisse), nec quid translato sermoni concessum fuerit recte reputarunt nec quid Cicero ipse sibi permiserit ibi praesertim ubi poetarum versus ad suum sensum orationemque detorquet: quod genus quale sit, intelliget qui vel haec de epistolis ad fam. 7, 33; 7, 30; 8, 2 contulerit. Haec igitur sola *litus atque aer et solitudo mera* ad poetam redeunt et cretici numeri impinguntur in aures, nec fugerunt Ribbeckium, sive ei desumpti sunt ex Philoctetae sive ex Promethei alicuius querella. Ad quem vero haec pertinere velimus si quaeritur, respondebimus *Metellum*, eum ipsum, cuius nomen totidem litteris in codice exaratum extat. Quid enim tergiversamur et in clara luce caecutire malumus? De Q. Metello, huius anni, h. e. 694 a. u., consule in eadem epistola scribitur *Metellus est consul egregius et nos amat sed imminuit auctoritatem suam quod habet dicis causa promulgatum illud de Clodio,* de eodem ep. 19, 4 *Metellus est consul sane bonus et nos admodum diligit;* cf. ep. 20, 5 *Metellus tuus est egregius consul: unum reprehendo quod otium e Gallia nuntiari non magno opere gaudet; cupit, credo, triumphare, hoc vellem mediocrius: cetera egregia:* ne anquiramus alia, quae nota sunt. Videmus igitur hoc certe anno Ciceroni cum Metello usum et familiaritatem intercessisse: tamen eundem quod scribit non eum esse quocum omnia ex animi sententia loquatur, quid est quod hoc aut verum esse aut a Cicerone potuisse dici negemus? Itaque cum ne *mei* quidem quod nonnulli desiderarunt ad *amantissimus* addi oporteat (omisit Cicero pronomen in simillima oratione in Catil. 4, 2, 3), hanc partem epistolae modo recte interpretere integram esse nullamque medendi operam

recipere arbitramur et esse quoddam insigne exemplum eius consuetudinis qua Cicero cum alibi tum praecipue in epistolis undique carptis ac delibatis flosculis suum variare sermonem consueverit.

Diximus de nonnullis quae Cicero a poetis sumpsit: accidit etiam ut ipsius oratio falso ad poetam et versus revocaretur. Eius rei exemplum petimus ex disputationibus Tusculanis. Sunt verba haec (1, 48, 117): *Clarae vero mortes pro patria oppetitae non solum gloriosae rhetoribus sed etiam beatae videri solent. repetunt ab Erechtheo, cuius etiam filiae cupide mortem expetiverunt pro vita civium;* [commemorant] *Codrum, qui se in medios immisit hostes veste famulari, ne posset agnosci si esset ornatu regio, quod oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore; Menoeceus non praetermittitur, qui item oraculo edito largitus est patriae suum sanguinem. Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet ut hostium eliciatur suo. veniunt inde ad propiora. Harmodius in ore et Aristogiton, Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas viget. nostros non norunt, quos enumerare magnum est.* In quibus *commemorant* ante *Codrum* additum coniectura probabili, de qua satis dictum putamus in ephem. gymn. Austriac. a. 1873 p. 243 sq., ibidemque illa quae sunt *veste famulari ne posset agnosci si esset ornatu regio* similiter formatae orationis Tullianae exemplis, quibus facile addi possunt plura, stabilita et a doctorum dubitationibus sunt vindicata. Quae vero sequuntur de Iphigenia, in iis F. A. Wolfius primus, ut videtur, haec extrema verba *ut hostium eliciatur suo* vel ut ipse edidit *ut hostium sanguis eliciatur suo* tamquam a poeta sumpta a Ciceronis oratione segregavit. In eandemque opinionem postea A. F. Naekius disputavit a. 1822 (Opp. 1, 86), admiratus, id quod unice ad illustrandam Ciceronis sententiam faceret, ab omnibus esse interpretibus praetermissum: respexisse enim Ciceronem ad canticum Iphigeniae *Ἄγετέ με τὰν Ἰλίου καὶ Φρυγῶν ἑλέπτολιν*, Eurip. I. A. 1475, sive haec ipsa Euripidis, quod esset veri simillimum, sive Latina Ennii ante oculos habuisset. Tertius successit Th. Bergkius, qui neque Wolfii neque Naekii memor in libello academico Marburgensi a. 1844 (p. XIII sq.) verba illa Enniana esse, ex Iphigenia petita, tam non dubitavit, ut versum ipsum, a Cicerone numeris exolutum, reciperare conaretur eumque cum altero eiusdem tragoediae versu certo coniungeret in hunc modum

Acherontem obibo ubi mortis thensauri obiacent,
Ut hostium eliciatur sanguis sanguine.

Easque opiniones et probavit olim Ribbeckius et retinuit tam in tragicorum reliquiis repetitis p. 43 quam in libro de tragoedia Romana p. 103. At vero nostrum si sensum consulimus, minime consentanea est horum versuum coniunctio, alterius autem numeri non minus quam oratio displicet: debebat enim necessario dici *ut meo sanguine hostium sanguis eliciatur;* sed quod summum est, omnes illae

rationes ea re una nituntur quod quae scribit Cicero *ut hostium eliciatur suo* parum ipsius sermoni convenire et altius quiddam spirare visa sunt. At facile perspicitur, quam hoc tenue ac lubricum sit eius coniecturae fundamentum in fabula tam vulgari multisque commemorata, ubi praesertim nec metri vestigium ullum neque expressior cum Graecis similitudo agnoscatur. Quod enim Cicero Iphigeniam scribit voluisse suo sanguine elici hostium sanguinem, cur id maiore iure attribuemus poetae quam vel illud quod de rep. 1, 1 duo Scipiones dicuntur *oriens incendium belli Punici suo sanguine restinxisse:* et nunc rhetorum sententias refert et quibus illi exemplis mortis pro patria oppetitae laudes extollere consueverint. Sed ne ambiguitate sensus dirimere videamur quid poetam quid scriptorem magis deceat, certius faciet iudicium ipsa excussa illa orationis forma qua Iphigeniae exemplum affertur; quae cum perquam sit memorabilis, interpretum curam plane effugit. An non hoc observatione dignum est, quod cum initio aequabili quodam modo narrationis ordo procedat, *repetunt ab Erechtheo —, commemorant Codrum —, Menoeceus non praetermittitur —,* subito in Iphigenia instituta ratio derelinquatur, *Iphigenia duci se immolandam iubet —,* dein eadem rursus repetatur in proximis, *veniunt inde ad propiora —?* Quam discrepantiam si quis emendando tollere animum inducat, velut hoc modo *laudatur Iphigenia quae —,* obstrepent singula, in quibus nec *iubet* praesenti tempore nec *Aulide* adiectum ad superiorum conformationem accedit. Et tamen idem exemplum tot nominibus a prioribus discretum artissimo vinculo cum proximo quod est de Menoeceo connexum est ita ut inde *sanguinis* nomen mente repeti scriptor voluerit: nam quod olim vulgabatur *ut hostium sanguis* a librorum memoria respuitur, *cruor* vero quod in quodam codice fertur pro *suo,* ea rudis est interpolatio commemoratione indigna. Quid ergo est? Fortasse fallimur, sed putamus haec ita exarasse Ciceronem: — — *Menoeceus non praetermittitur, qui item oraculo edito largitus est patriae suum sanguinem:* nam *Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet ut hostium eliciatur suo:* interposita *nam* particula, quae eo quidem loco proclivi librariorum errore intercipi potuit. Qua addita voce emergere scriptoris consilium videtur. Sic enim existimamus, hanc de Iphigenia memoriam non subiici ceteris ut comparem sed ab iis segregari ut disparem, ratione cur secernatur adiecta. Quippe ea vis est eius particulae, non ut rei positae causa afferatur, sed quod haec posita sit, altera praeterita, id vero explicetur: id quod iterando summam superioris sententiae patefacere possis. Itaque hunc quem reciperamus sententiarum tenorem hoc fere modo evolvere liceat: Erechtheus, Codrus laudantur qui pro patria mortem oppetiverunt; Menoeceus non praetermittitur qui patriae suum sanguinem largitus est: patriae, inquam, largitus est sanguinem: nam Iphigenia non in patria obsessa sed Aulide duci se immolandam iubet non ut hostes pellantur a patria sed ut hostium sanguis hostili in terra

eliciatur suo. Ita liquido apparet quodvis unum huius enuntiati verbum egregie ad illam mentem scriptoris facere, qui utrumque secutus est, ut nec deesset illud nobile voluntariae mortis exemplum et idem quid distaret a reliquis patefieret. Quod cum ita institueret ut orationem proxime ad Menoecei exemplum accommodaret, in ea conformanda non iam credibile videbitur eum Ennium aliumve quem poetam potius quam semet ipsum ducem et auctorem secutum esse.

De *nam* particula, quam restituimus vimque eius declarare conati sumus, si curiosius agere vellemus, ampla suppeteret disserendi materia: nam exempla quidem quaerenti nusquam non obviam fiunt, nec solum apud scriptores, Ciceronem imprimis, Sallustium, Suetonium, Petronium, verum etiam poetas, sed saepe interpretibus molestias creavit, cum aut ellipsin somniant quae nulla est aut diversa miscent, nonnumquam etiam criticorum iniurias perpessa est sive ipsam mutant sive orationem integram defectus accusant vel interpolatam increpant. Sed nolumus si qui tamen sunt qui haec legent in hoc arido quaestionum grammaticarum campo diutius detinere. Vos vero, iuvenes carissimi, a prolusionis tenuitate advertatis animum ad fontes limpidos largae doctrinae quos vobis aperit Universitas nostra hauriendos: haurite inde sedulo quod vobis conducat.

Scr. m. Aprili MDCCCLXXIX.